

340

338

344

Octavo die, qui est conceptionis et sanctificationis Mariae  
Virginis beatæ, bonum et fortē ventum habuimus, qui in sinum  
Laconicum nos detulit, ubi post meridiem vidimus promontorium  
Maleum, vel Maleam iterum vidimus, in cuius aspectu conterriti  
sumus, sicut ille formidat et trepidat, qui aciem inimicorum contra  
se stare aspicit, timuimus enim iterum pati repulsam; circa ves-  
peras autem invaluit ventus noster prosper, et levi spiritu sub-  
solani deducti usque cornu Maleae venimus ibique sancti Michaelis  
alam non repellentem sed promoventem et protegentem sensimus;  
nam sine omni impedimento forti sulcatione transivimus Maleam,  
quo facto inceperunt nostri joculatores tubis canere et galeotae  
vocibus clamare et manibus plaudere et singuli, in Dei laudes  
consurgere, beatissimæ Mariae Virgini laudes canere et S. Mi-  
chaeli gratias agere, sique de mari Aegeo in mare Adriaticum  
devenimus et nos liberatos esse gratulabamur.

334

349

329

389

439

239

Delati ergo sumus per ventum in sinum quendum, Messenio  
dictum, in quo cursum galearum intercepimus, quia mare illud  
plenum periculis erat, scopolis et rupibus undique repletum, nox  
vero affuit, cui confidere ausus nemo fuit, quia, quamquam quae  
propinqua sunt, remotiora esse videantur, et e contrario in noc-  
tibus. Sic ergo reclinati velis naves per noctem ad sortem cur-  
rere in latioribus permisere, sicut equus effrenis, et valde inqui-  
tam noctem habuimus et periculosam, quia ventus erat fortis, et  
agitabantur naves sine velis duris et inordinatis motibus, et cum  
majori molestia nostra, quam in saeviš (B) tempestatibus, non  
enim stabant naves, nec progrediebantur, sed inter saevos fluctus  
agitabantur nunc ante, nunc retro, et in latera ambo crebrius im-  
portunius reflectebantur, sicut equus sine freno et volatile sine  
pennis, quod nisibus inordinatis ad volatum movetur, pennae enim  
navis sunt vela, et frenum est clavus, quorum neutro regebatur.  
Ideo communiter, quando poetae loquuntur de equis pennatis vel  
alatis, intelligendum de navibus est, quae dicuntur alati equi, si-  
cūt in P. I. Fol. 78 dicitur Perseus venisse in equo alato ad  
liberationem Andromedae de scopolis Ioppe. Et supra Fol. 149.  
Bellerophon dicitur in equo alato viciisse Chimaeram, qui equi  
alati creduntur naves velatae fuisse, quia historiæ illæ poetarum  
non omnino fictæ sunt, sed aliqua non intelligentibus videntur  
esse ficta; in rei veritate tamen natura equos alatos producit, qui

Ende

Anfang

